

Ad tertium, ultimum argumentum sic solvendum est: intellectus intelligit non ita trahendo res ad se quod res ipsa et cognoscens quodammodo duo maneant, sed ita quod cognoscens obiecto ut obiecto vitaliter et intime assentiatur et ad id tendat usque ad assimilationem. Et haec quae ultime videtur S. Thomae sententia scribentis: "Potentia cognoscitiva fit iunctum obiectum non componendo cum illo aliquam naturam, sed intentionaliter se transformando in illud" (1). Quod etiam Joannes a S. Thoma firmiter tenet, cum dicit quod "actus intelligendi non tamen reddit praesens obiectum ut forma ex parte obiecti se tenens quasi vires ejus gerens, sed ex parte potentiae tendens et operans circa obiectum. Et ideo non est unio representativa sed operativa seu per modum actus secundum, non ut continens, sed ut tendens ad obiectum." (2).

---

(1) Ia., q. 14, art. 1. 2

(2) Ia., q. 1, art. 1, ad 1.

Art. 6     Utrum complacentia habeat rationem finis.

Summula argumenti.

I. Finis dici potest de omni eo quod habet rationem perfecti,

Atqui, complacentia non habet rationem perfecti voluntatis sed tantum intellectus,

Ergo complacentia habet rationem finis intellectus, sed non voluntatis.

↓ Voluntas tendit in bonum quod est in rebus,

Atqui, per complacentiam voluntas non constituitur tenens objectum, sed objectum non est in voluntate nisi per suum pondus,

Ergo, complacentia non est nisi principium in voluntate.

↓ Intellectus vero procedit trahendo res ad se,

Atqui, cum intellectus complacet, objectum est intra intellectum,

Ergo, complacentia intellectus habet rationem finis.

II. Sed id quod est finis respectu unius potest esse principium respectu alterius et sic complacentia quae est finis intellectus est principium amoris.

Art. VI      Utrum complacentia habeat rationem finis.

Post considerationem complacentiae absolute, nunc quaeritur utrum complacentia habeat rationem finis, an scilicet sit appetitum et desideratum ab iis qui finem nondum attingunt, et dilectum et quasi delectabile ab iis qui finem participant, cum ejusdem rationis sit tendere in finem, et in fine quodammodo quiescere, ut dicit S. Thomas de Veritate, q. 21, art. 2, c.

1. Ad sextum sic proceditur. Et videtur quod complacentia non habeat rationem finis. Complacentia enim est principium a voluntate formatum a quo tendit vitaliter in finem nondum attactum. Quod enim videtur esse e mente Divi Thomae, cum dicat: "appetibile dat appetui, primo quidem quandam coaptationem ad ipsum, quae est quaedam complacentia appetibilis ex qua sequitur motus ad appetibile" (1). Ergo complacentia non habet rationem finis, sed principii.

2. Praeterea, "ad actum potentiae activae comparatur obiectum ut terminus et finis." (2). Atqui, complacentia est solum proportio vitalis ad obiectum. Ergo non habet rationem termini et finis.

3. Praeterea, intellectus dicitur complacere secundum quod habet intra se formam apprehensam. Forma vero apprehensa est principium inclinationis, quamlibet formam enim sequitur aliqua inclinatio. Ergo complacentia intellectus non habet rationem finis sed principii.

---

(1) Ia. 2ae., q. 26, art. 2, c.

(2) Ia., q. 77, art. 5, c.

4. Ulterius, ratione ponderis sui ab ipsa producti ut termini, voluntas dicitur in actu secundo tendens in finem; sed nec terminus seu verbum mentis ab intellectu productum est id in quo sistit intellectio ut in objecto. Ergo nec complacentia voluntatis, nec intellectus, habet rationem finis.

5. Immo, videtur quod complacentia habeat rationem finis voluntatis. Impulsus enim quo voluntas determinato se coaptat objecto suo in complacendo est terminus, ergo finis.

6. Adhuc complacentia voluntatis habet rationem finis. Delectamur enim propter bonum conjunctum seu finem adeptum. Atqui etiam complacentia appetitus habet delectationem.

Ad hujus quaestiones solutionem animadvertendum est primo quod finis dici potest de omni eo quod habet rationem perfecti, et sic forma est finis materiae, et propria operatio cujuslibet rei est finis ejus. Unde finis dicitur propria et de bono quod habet rationem causae finalis, et de cognoscibili inquantum est perfectio cognoscentis, et secundum hoc, ipsum intelligere dicitur finis intellectus. Secundo, quod id quod est finis respectu unius potest esse principium respectu alterius, sicut navis finis navilactivae et principium navigatoris, et intelligere finis cognoscentis et principium amoris.

Ut autem supra visum est, voluntas dicitur objecto suo complacere inquantum objectum ejus est in ipsa voluntate, non per modum similitudinis et representationis, sed per modum impulsus et inclinationis quo voluntas constituitur determinate coacta et proportionata objecto suo, et secundum hoc dicitur amatum in amante, non ut terminus in quem fertur amans, sed ut pondus in amatum:

" amatum in voluntate existit ut inclinans et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam. " (I). Et sic pondus quo voluntas coaptatur objecto suo non est nisi principium a quo tendit in bonum quod est in rebus. Quia ergo complacentia voluntas non est in actu secundo tenens objectum, sed in actu secundo tendens in objectum ut finem.

Intellectus vero dicitur complacere objecto suo et intelligere secundum quod objectum est intra intellectum non per modum ponderis in illud, sed per modum similitudinis et representationis, secundum quam intellectus dicitur intellectum in actu. Et ideo dicitur quod intellectus habet bonum in seipso. Quia ergo complacentia intellectus nihil aliud est quam proportio secundum quam intellectus coaptatus est objecto suo ut termino in actu secundo, ideo complacentia intellectus habet rationem finis.

Ex his patet responsio ad primum et ad secundum.

Ad tertium respondetur quod forma apprehensa potest esse principium inclinationis in appetitum, vel si ordinatur ad aliquod opus, hoc non est in quantum intellectus vere cognoscitivus est, sed in quantum practicus.

Ad quartum dicendum quod de verbo intellectus et de pondere appetitus eliciti non est idem. Appetitus enim elicitus quia a natura non determinatur ad unum sed mediante forma apprehensa et impulso suo vitali ideo oportet cum semper terminum aliquem intra seipsum producere, ita ut etiam voluntas divine necessario fertur in suam essentiam mediante forma apprehensa et impulsu orto ex objecto. (2). Ipsa vero

(1) Summa Contra Gent., lib. 4, c. 19, circa finem.

(2) S. a. S. Thoma, C.Th., 17, 147, b.

intellectio non consistit in productione termini, sed in contemplatione termini producti sive uniti.

Ad quintum respondetur quod "ille impulsus est terminus actionis voluntatis ut aspirativae, et ut vitaliter se inclinantis in objectum, sed iterum est ratio, et vis ponderans ut continuetur amor, vel iterum eliciatur, aut ut crescat, prout efficacius aut tenacius inhaeserit voluntati ista impressio de objecto cognito, sicut impellens sagittam, aut lapidem prius motu suo tangit lapidem, imprimens illi impulsu, et ex tali impulsu continuatur motus lapidis et elicitur usque ad locum determinatum." (1).

Ad sextum dicendum quod etiam ante consecutionem finis est quaedam delectatio non solum propter conjunctionem secundum apprehensionem, sed etiam secundum facultatem adipiscendi bonum quod delectat, (2), ut dicit D. Thomas: "quod amor et concupiscentia delectationem causant. Omne enim amatum fit delectabile amanti, eo quod amor est quaedam unio vel conaturalitas amantis ad amatum. Similiter etiam omne concupitum est delectabile concupiscenti, cum concupiscentia sit praecipue appetitus delectationis. Sed tamen spes, inquantum importat quendam certitudinem realis praesentiae boni delectantis quam non importat nec amor, nec concupiscentia, magis ponitur causa delectationis quam illa; et similiter magis vel actu, quam memoria, quae est de eo quod jam transiit." (3). Delectatio tamen ista non est perfecta, quia habet tristitiam concomitantem ratione boni imperfecte praesentis.

---

(1) *ibid.*

(2) 1a. 2ae., q. 32, art. 3, c.

(3) 1a. 2ae., q. 32, art. 3, ad 1.

intellectio non consistit in productione termini, sed in contemplatione termini producti sive uniti.

Ad quintum respondetur quod "ille impulsus est terminus actionis voluntatis ut spirativae, et ut vitaliter se inclinantis in objectum, sed iterum est ratio, et vis ponderans ut continuetur amor, vel iterum eliciatur, aut ut crescat, prout efficacius aut tenacius inhaeserit voluntati ista impressio de objecto cognito, sicut impellens sagittam, aut lapidem prius motu suo tangit lapidem, imprimens illi impulsu, et ex tali impulsu continuatur motus lapidis et elicitur usque ad locum determinatum." (1).

Ad sextum dicendum quod etiam ante consecutionem finis est quaedam delectatio non solum propter conjunctionem secundum apprehensionem, sed etiam secundum facultatem adipiscendi bonum quod delectat, (2), ut dicit D. Thomas: "quod amor et concupiscentia delectationem causant. Omne enim amatum fit delectabile amanti, eo quod amor est quaedam unio vel conaturalitas amantis ad amatum. Similiter etiam omne concupitum est delectabile concupiscenti, cum concupiscentia sit praecipue appetitus delectationis. Sed tamen spes, inquantum importat quandam certitudinem realem praesentiae boni delectantis quam non importat nec amor, nec concupiscentia, magis ponitur causa delectationis quam illa; et similiter magis vel actu, quam memoria, quae est de eo quod jam transiit." (3). Delectatio tamen ista non est perfecta, quia habet tristitiam concomitantem ratione boni imperfecte praesentis.

---

(1) ibid.

(2) 1a. 2ae., q. 32, art. 3, c.

(3) 1a. 2ae., q. 32, art. 3, ad 1.

" Hic est filius meus dilectus, in  
quo mihi complacui ".

( Ev. S. Matth. cap. 17, 6. )



ART. VII

Utrum complacentia sit idem quod delectatio.

Summula argumenti.

Rationes formales diversae diversificant formaliter actus,  
Atqui complacentia et delectatio habent rationes formales diversae.  
Ergo, complacentia non est idem quod delectatio.

↓  
Complacentia est de intrinseca ratione operationis.

Delectatio supervenit ad operationem jam perfectam.

Art. VII     Utrum complacentia sit idem quod delectatio.

1. Ad septimum quaeritur utrum complacentia sit idem quod delectatio et videtur quod sunt idem. Si enim moreris ad usum loquendi, videtur quod complacentia non a delectatione re vera distingui quoad ipsam rationem, sed tantum quoad tenuitatem sermonis. Plurique scriptores, enim, uno pro altero verbo utuntur, salva tamen lingua.

2. Praeterea, non patet a philosophia complacentiam a delectatione magis distingui, cum ipse S. Thomas de delectatione dicit: "In delectatione duo sunt, scilicet perceptio convenientis, quae pertinet ad apprehensivam potentiam, et complacentia ejus quod offertur ut convenientis, et hoc pertinet ad appetitivam potentiam, in qua ratio delectationis completur" (1). Ergo, complacentia et delectatio non differunt nisi penes diversas habitudines.

3. Quod a Sancto Thoma longius iterum asseritur cum dicit quod "quies voluntatis et cujuslibet appetitus in bono actu est delectatio." (2). Complacentia autem in intellectu habet rationem finis, et secundum hoc quietem appetitus potentiae cognoscitivae dicit. Atqui idem de delectatione S. Thomas asserit: "Delectatio consistit ex hoc quod appetitus requiescit in bono actu." (3). Ergo, sicut in intellectu, complacentia est idem quod delectatio.

---

(1) Ia. 2ae., q. XI, art. 1, ad 3.

(2) Ia. 2ae., q. 34, art. 4, c.

(3) Ia. 2ae., q. 4, art. 1, 3.

Sed contra est quod alibi dicit Divus Thomas, cum de ordine passionum agens ita triplicem distinctionem proponit: "Ipsa autem aptitudo sive proportio appetitus ad bonum est amor, qui nihil aliud est quam complacentia boni, motus autem ad bonum est desiderium vel concupiscentia, quies autem in bono est gaudium vel delectatio".<sup>1</sup>

Præterea, delectatio est in appetitu elicitō. Sed quædam complacentia est in potentia cognoscitiva tantum.

Præterea, delectatio consistit in quodam quietatione appetitus elicitī. Appetitus autem non quaerit bonum propter quietationem. Ergo delectatio non est finis secundum quod finis dicitur id propter quod aliud est. Sed quædam complacentia habet propriam rationem finis. Ergo delectatio non est idem quæ complacentia.

Adhuc, complacentia appetitus quæ habet rationem principii non est quies sed principium totius in finem. Delectatio vero est quies propter bonum consecutum. Ergo delectatio præsupponit complacentiam, et emendatur ex consecutione finis quæ est operatio quædam.

---

Respondet dicendum quod delectatio et complacentia penitus distinguuntur secundum rationem formalē. Complacentia enim est de intrinseca ratione operationis sive cognoscitivæ sive appetitivæ. Delectatio vero ut quietatio appetitus est perfectio operationi jam perfectæ extrinsece superveniens, ut patet ex 1<sup>o</sup> ethic., c. 4, lect. 6.

---

(1) Ia. 2æ., q. 25, art. 3, c.

praesupponit enim consecutionem boni convenientis quam praecedit complacentia in appetitu; et cognitionem jam perfectam in qua est complacentia. Delectatio enim non est propter ipsa objecta operationum, sed propter operationes quibus conjungitur nobis. Et ideo objecta non sunt delectabilia nisi in quantum habita. Unde operatio est causa delectationis. (1).

Ad primum dicendum quod ista locutio non est for alis, vel potest dici quod quia omnis complacentia habet aliquam delectationem conjunctam. Unde cum dicitur quod delectatio est complacentia, non est praedicatio per essentiam, sed ex causam.

Ad secundum dicendum quod ista duo non dicuntur in delectatione esse quasi intrinsece constituent delectationem sed quasi requisita, ut patet q. 32, art. 1.

Ad tertium dicendum quod quietationi appetitus naturalis intellectus respondit quietatio in voluntate, nam sicut intellectus continetur sub objecto appetitivae sicut proprium sub communi. "Unde perfectio et finis cujuslibet potentiae, in quantum est quoddam bonum, pertinet ad appetitivam." (2). Et quando dicit sanctus Doctor quod "quies voluntatis et cujuslibet appetitus in bono sic est delectatio," hoc non est intelligendum de appetitu naturali, sed de quolibet appetitu elicit intellectivo scilicet de sensitivo.

---

(1) Ia. 2ae., q. 32, art. 1, c. et ad 1.

(2) Ia. 2ae., q. 11, art. 1, ad 2.

ART. VIII

Utrum omnis complacentia sit causa delectationis.

Summula argumenti.

In genere:

Delectatio sequitur in appetitu ex consecutione boni convenientis et ex cognitione hujusmodi adeptionis. Atqui, complacentia quodammodo concurrit ad consecutionem boni convenientis et ad adeptionem boni. Ergo complacentia causa delectationis est.

In specio:

- I. Complacentia intellectus causa delectationis in appetitu est in quantum ipsa operatio intellectus est bonum quoddam habitum.
- II. Complacentia voluntatis est causa delectationis in quantum duplicem praesentiam boni importat: bonum operationis et bonum amati praesentis in agente.

Art. VIIIUtrum omnis complacentia sit causa delectationis.

I. Ad septimum quaeritur utrum omnis complacentia sit causa delectationis, et videtur quod non. in Ia. 2ae. q. 32, ubi de causis delectationis explicit agitur, nullatenus complacentia refertur. Quod Divus Thomas in causis delectationis complacentiam non numeravit, et hoc, in tractatu ipso ubi Sanctus Doctor de delectatione formaliter locutus est, est sufficiens ratio cur negatur complacentiam causam delectationis esse.

2. Praeterea, quaecumque sint causae delectationis, non sunt causae nisi propter praesentiam boni convenientis quae est ratio formalis delectationis, secundum verba 1<sup>ae</sup> s<sup>e</sup> Divi Thomae dicentis quod "delectatio causatur ex praesentia boni convenientis." (1). Complacentia vero, ex ratione sua est vitalis conformatio potentiae ad objectum, et haec talis, non supponit praesentiam boni convenientis sed tantum ad huius praesentiam ducere potest. Complacentia igitur nullo modo causa delectationis est.

3. Praeterea, brutorum cognitio sensitiva est complacentia. Item 1<sup>o</sup> brutis non est delectatio propter cognitionem. ergo quaedam complacentia non est causa delectationis.

Sed contra est quod S. Thomas dicit in Ia. 2ae., q. 30, art. 2, c. ubi quendam causalitatem complacentiae erga delectationem

---

(1) Ia. 2ae., q. 32, art. 3, c.

admittere videtur: "Ex hac complacentia, "inquit, "sequitur motus in appetibile, qui est desiderium, et ultimo quies quae est gaudium". Ergo intercedit quaedam habitudo causalitatis inter complacentiam et delectationem.

---

Respondeo dicendum quod delectatio sequitur in appetitu ex consociatione boni convenientis et ex cognitione huiusmodi adaeptionis. Quia vero appetitus elicitus potentia vitalis est, non sufficit praesentia mere physica, sed oportet appetitum ab intrinsece cooperari bono prosequendo, quae consociatio vitalis nihil aliud est quam complacentia. Manifestum est ergo complacentiam saltem causam remotam esse delectationis. Praeterea, ipsa complacentia appetitus, in quantum scilicet ponderat in objectum, importat conjunctionem in potentia secundum quam est delectatio sui, ut supra dictum est. De hoc ergo non est difficultas. Sed hic specialiter inquirendum est utrum omnis complacentia, scilicet tam potentiae cognoscitivae quam potentiae appetitivae, sit causa delectationis.

Experientia autem docet nos aliter. Sensus non solum propter utilitatem ad agendum aliud, sed etiam ut cognoscitivos: "manifestum quod secundum unumquemque sensum est delectatio, per hoc quod dicimus et excitemur visiones esse delectabiles, puta pulchrarum formarum; et etiam auditiones, puta suavium melodiarum." (1). Et delectatio ex prior est quo potentia cognoscitiva magis perfecta. Unde in vita contemplativa delectatio perfectissima est.

---

(1) Ethic., lect. 6, nn. 2028.

Sed quia objectum delectationis est bonum ut sic seu res in ordine ad esse conveniens, objectum autem intellectus sit quidditas quae abstrahit ab existentia, quaeritur quomodo objectum quod est perfectio intellectus possit esse causa delectationis.

Ad hujus quaestionis solutionem notandum quod, ut supra dictum est, objecta ipsarum operationum ut objecta non sunt delectabilia, nec objectum intellectus ut objectum, nec objectum voluntatis ut bonum, sed in quantum conjunguntur nobis per operationem: nam ipsam habere bonum esse causam delectationis, scilicet consecutio boni et cognitio hujusmodi adeptionis: "Utrumque autem horum in quadam operatione consistit: nam actualis cognitio operatio est quaedam; similiter bonum conveniens adipiscitur aliqua operatione; ipsa etiam operatio propria est quoddam bonum conveniens. Unde oportet quod omnis delectatio aliquam operationem consequatur." (1). Ergo, quia ipsa operatio intellectus est bonum quoddam habitum, ipsa cognitio est causa delectationis.

Utrumque autem ex bonitate operationis intellectus sequatur delectatio in voluntate ex hoc patet quod "Intellectus....secundum quod est quaedam res et potentia specialis, sic sub comuni ratione boni continetur velut quoddam speciale, et intellectus ipse, et ipsum intelligere, et objectum ejus quod est verum; quorum quodlibet est quoddam speciale bonum." (2). Et ex hoc quod "bonum autem

---

(1) Ia. 2ae., q. 32, art. 1, c.

(2) Ia., q. 82, art. 4, ad 1.



habere veram cognitionem: ex hoc vero, quod deficit a tali similitudine, dicitur falsam cognitionem habere. Sicut ergo bonum et malum designant perfectiones, quae sunt in rebus: ita verum et falsum designant perfectiones cognitionum. "

Ad secundum dicendum quod complacentia voluntatis duplicem praesentiam boni importat: primo secundum uiam rationis complacentiae existit ut quidam modo in amato, quia voluntas est in actu secundo tendens in actum quod est extrinsecus; secundo, in quantum voluntas est in actu ponderans objectum, quod operatio est bonum quoddam quamvis imperfectum.

Ad tertium dicendum quod secundum omnem sensum est delectatio, ut dicitur in III Ethic., c. 4, et quod delectationes specificantur ex operationibus quae sunt earum causae. Quamvis in brutis non sit per se delectatio propter cognitionem, est tamen ex accidens, ut dicitur in III Ethic., c. 12. Sed non delectatur in relecta capere, delectatur tamen in ea habendo: dicitur: quia delectatio non esset nisi esset cognitio, ergo complacentia. Et si dicatur quod delectatio ista non est propter complacentiam ut cognoscitivam, responderetur quod si cognitio animalis non est objecti ut objecti, ergo non complacentia propter objectum ut objectum, sed ut comestibile. Cognitio enim animalis non sietur in objecto ut objecto, ergo non ipsa complacentia terminatur ad objectum ut objectum. Igitur, quia operatio ejus cognoscitiva non est circa objectum ut sic, nec potest delectationem causare prout et cognitionem objecti ut sic. Aliis verbis, quia cognitio sensitiva tota ad aliud ordinatur, habet propriam perfectionem ex ista ordinatione perfectio ejus propria

dijudicande est ex eo ad quod ordinatur et terminatur. Quando ordinatur ad cognitionem intellectus, cum cognitio intellectus habeat rationem termini et finis, ipsa cognitio sensitiva delectabilis est <sup>et</sup> cognoscitiva est; quando vero ordinatur ad ea quae pertinent ad sustentationem naturae, ut nutritionem et generationem, delectabilis est eo modo quo facit ea cognoscere.

Art. IX    Utrum complacentia sit de essentia pulchritudinis.

Summula argumenti

I. Complacentia intellectus, distingo:

de essentia pulchritudinis ex parte objecti; nego.

de essentia pulchritudinis ex parte intellectus; concedo.

Ille actus est de essentia pulchritudinis, quo objectum ut pulchrum formaliter attingitur,

Atqui, complacentia est hic actus,

Ergo, complacentia est de essentia pulchritudinis.

II. Complacentia voluntatis, distingo:

A. de essentia pulchritudinis, nego.

B. ut proprietas, concedo.

Art. IX. Utrum complacentia sit de essentia pulchritudinis.

1. Ad nonum quaeritur utrum complacentia sit de essentia pulchritudinis et videtur quod non. Complacentia enim nihil aliud est quam coaptatio vitalis quaedam quae ut sic, tota ex parte potentiae se tenet. Quare si diceretur complacentiam de essentia pulchritudinis esse, aut poneretur ad extra aliquid quod de ratione sua est intra intellectum tantum aut pulchrum esset solum in intellectu.

2. Praeterea, complacentia ex natura sua motus vitalis est. Pulchrum autem esse motus naquit sed e contra terminus, cum non nisi ad se ipsum ordinetur, ut e supra dictis patet. Complacentia ergo non est de essentia pulchritudinis.

Sed contra est quod S. Thomae dicit: "ita quod bonum dicatur id quod simpliciter complacet appetui, pulchrum autem dicatur id cuius ipsa apprehensio placet." (1)

Respondetur dicendum quod pulchrum distinguitur sicut verum, in quantum potest dici vel de re ipsa, in qua intellectus pulchritudinem secernit, vel de ipso actu intellectus quo objectum pulchrum apprehenditur.

Haec distinctio saepe a Sancto Thoma ex Aristotelo sumitur: de bono loquens dicit quod duplici modo finis haberi potest: "scilicet eius et quo, id est ipsa res in qua ratio boni invenitur, et usus sive adoptio illius rei." (2)

---

(1) Ia. 2ae., q. 27, art. 1, ad 3.

(2) Ia. 2ae., q. 1, art. 8, c.

*pulchro.*

Ex applicatione hujus principii, sequitur quod pulchrum sive objectivum, sive formale esse potest, prout vel ex parte objecti, vel ex parte actus ipsius formaliter id apprehendentis, se tenet. Quo ultimo modo, ille actus erit de essentia pulchritudinis, quo objectum ut pulchrum formaliter attingitur.

Certum est enim quod intellectus essentialiter natus sit ad complacendum, id est, quod essentialiter ad actum suum exercendum modo vitali ordinatur. Unumquodque est propter operationem. "Operatio est ultimus actus operantis." (1). Et quando operatio vitalis est, dici potest quod unumquodque operationem vitalem habens ad exercitium vitale hujus operationis sicut ad suam propriam et ultimam perfectionem tendat. Quod de intellectu adaequate dici potest et a Joanne a . Thoma revera dicitur: "Intellectus intelligit per actum procedentem vitaliter a se ut a principio intrinseco....., si vero ab ipso principio intrinseco et vitali non procedit actus intellectus non est." (2). Qui autem motus vitalis in quodam objecto quod ejus terminus et finis sit fundandus est; aliis verbis, oportet ut aliquod objectum sit quod ut terminus et finis hujus motus vitalis agat. Ita ut non solum totus actus vitalis pendeat tum a potentia quia totus a potentia efficitur, tum a priore proportionem quaedam potentiae ad objectum ut objectum, sed etiam ex consideratione hujus objecti ut finis a potentia. Quo quidem motu vitali, potentia, id est, intellectus, non ad objectum ut objectum tantum se coaptat, cum jam proportionatus sit ex natura sua, sed ad objectum ut finem.

---

(1) Ia. 2ae., q. 3, art. 2, c.

(2) C. Th., V, 412, b.

Quod objectum ipsum non est tantum objectum ejus, sed finis et ita habet rationem perfecti, cum sit terminus ejus proprius actus et operationis. In quo ultimo sensu, objectum dicitur pulchrum. Summatim, objectum pulchrum est objectum quod ut finis actum intellectus terminat. Objectum enim non solum debet esse intellectui terminus adaequationis, sed terminus ad quem vitaliter et actualiter se coaptat. Ita complacentia est de essentia pulchritudinis, cum sit actus intellectus quo pulchrum objectum formaliter apprehenditur. Ex quo ergo videtur quod in ratione pulchri nulla ratio potentialitatis includitur. Totum pulchrum enim, e contra, in linea actualitatis potentiae stat. Ex parte intellectus pulchritudinis perfectio constituitur formaliter actu vitali, et "actus vitalis non denominat passive potentiam". (I). Ita ut, nihil impediatur quominus hic actus vitalis sit sive actus secundus intellectus in potentia, sicut in angelis et hominibus evenit, sive actus primus intellectus semper in actu sicut in Deo.

Quibus positis, consequens est ut complacentia intellectus sit de essentia pulchritudinis; cum enim pulchrum intellectum essentialiter respiciat, et complacentia formaliter sit ille actus intellectus cujus pulchrum ratio et terminus est.

Constat ergo complacentiam voluntatis tunc ad pulchritudinem quodammodo addi sicut ad aliquid jam in essentia sua constitutum, et hoc nisi ut actus ulterior voluntatis possibilis reddatur, qui ipso in delectatione definitive resolvatur. Cum autem voluntas

---

(I) J. a S. Thoma, C. Ph., 5, 415, a.

ulterius complacentiam habet pro objecto pulchro, hoc non est in quantum hoc objectum pulchrum *seu*, sed in quantum, ut cognitum quoddam, potest aliquod bonum praesentare. Sicut quando videns aliquam rem pulchram, vult ulterius huic rei ut bona est adherere.

Ad primum dicendum est quod pulchrum cuius apprehensio placet, potest dupliciter considerari: uno modo objective ut est proprietas rei quae videtur et in quantum est fundamentum complacentiae a parte rei; alio modo formaliter ut est intra intellectum secundum quod dicitur quod intelligibile in actu est intellectus in actu. Et ita primum latius patet quam secundum, in quantum illud non dependet a nostra actuali consideratione et in quantum nos non cognoscimus pulchritudinem rei in quantum eam cognoscimus, seu in quantum est intra intellectum nostrum. Intellectus enim intelligit trahendo res ad se. Objective vero sumpta, res habet pulchritudinem respectu intellectus a quo dependet quantum ad suam perfectionem intelligibilem, scilicet Dei, cuius pulchritudinem imitatur.

Ad secundum respondetur distinctione complacentiae quae est in intellectu ubi habet rationem ultimi, a complacentia voluntatis quae habet rationem medii.

Art. I. Utrum delectatio sit de ratione pulchritudinis.

Summula argumenti.

I. ut de essentia sua, nego.

A. Pulchrum essentialiter et formaliter respicit vim cognoscitivam,

Atqui, delectatio in appetitu elicito invenitur formaliter,  
Ergo, delectatio non est de ratione pulchri.

B. Id quod supervenit ad aliquid non est de essentia ejus ad quod superveniens est,

Atqui quaedam delectatio supervenit apprehensioni pulchri,  
Ergo, delectatio non est de ratione pulchri.

II. ut quasi per se accidens et concomitans, concedo.

Hoc patet ex supra dictis.



Art. X     Utrum delectatio sit de ratione pulchritudinis.

I. Ad decimum quaerendum est utrum delectatio sit de ratione pulchritudinis et videtur quod sic. Etenim est una sententia omnium in quacumque lingua testificata quod delectatio sit de ratione pulchritudinis. "Le beau fait plaisir; " "Pulchritudo delectat"; "Pulchrum gaudium seu delectationem affert; " ita sponte iudicare sensus communis.

Ex quibus dictis iisdem consensionis omnium gentium patet unumquemque pulchritudinem rerum motiri ex maiore aut minore delectatione quam sentit cum eas vident aut cognoscunt, et inde delectationem de ratione pulchritudinis esse.

Praeterea, aesthetici agentes, pictor poetaque coram pulchris rebus eodem modo afficitur. A Poussin vero, secundum verba ipsa e diario Delacroix sumpta, tuetur quod pulchrum est delectatio: "Poussin définit le beau, la délectation "(I). Cum Delacroix ipse in se ipso reperit eandem definitionem pulchri quae jam a Voltaire allata est: "Nous n'appelons beau," ait, "que ce qui cause à notre âme et à nos sens du plaisir et de l'admiration." (I).

Praeterea neque aliter cogitant plerique philosophi, qui avidi docendi suam doctrinam e principio certo et immutabili ab omnibus accepto, delectationem, quam empirica observatio iis ut signum manifestissimum pulchri praebet, de ratione pulchritudinis habent.

---

(I) Journal de Delacroix, 1 janvier 1857.

Ita enim pulchrum describitur a Doms le Chartreux: "Pulchra (supra descriptum est) quod sua actualitate movere potest cognoscentis adspectum ad se complacenter seu delectabiliter intuendum quodque in se continet unde conveniens sit in adpectu, idem quod visui placet et videntem oblectat." (1)

Quorum etiam quidam recens, (2) postquam enim declarat ly "placet" tanquam fruitionem consequentem objectum visum, secundum ipsa ejus verba: "une jouissance consécutive à l'objet contemplé," ita sententiosus dicit: "quoiqu'on en ait dit, le "placet" appartient à la définition essentielle du Beau.

Alius, (3) affirmat: "Le beau est essentiellement délectable," et alius quidam (4) tandem asserit: "Beauty is pleasure."

Immo quod scientia pulchri aesthetica vocatur quia aliquid jucundi in sensibus officit, seu ut dicitur, "parce qu'elle produit un effet délicieux sur la sensibilité", apertissime patefacit fore omnes philosophos ad delectationem habendam de ratione essentiali pulchritudinis tendere.

Ante tam egregias sententias, quas quidem a datis experientias confirmari videntur, quomodo adhuc dubitemus quin delectatio de ratione pulchritudinis sit?

---

(1) De Vennustate et De Pulchro Montreuil 1857

(2) De Lunnynck, Esthétique de S. Thomas d'Aquin, Mélanges S. Tomaso D'Aquino, publiés par l'université de Milan, 1923, p. 234.

(3) Jacques Maritain, Art et Scolastique, p. 36, ed. 1920.

(4) Santayana, Sense of Beauty, p. 49.

Sed contra est quod a Sancto Augustino in De Vera Religione dicitur (I) "Et prius quaeram utrum ideo pulchra sint quia delectant, an ideo delectent quia pulchra sint, Hic mihi sine dubitatione respondebitur ideo delectare quia pulchra sunt."

Ex his verbis videtur delectatio non esse forma intrinseca essentiae pulchri, sed aliquid consequens et superveniens ad perceptionem pulchri. Quae perceptio pulchri autem est operatio potentiae cognoscitivae. Delectatio ergo ad operationem perceptionis pulchri sicut ad quamcumque operationem sequi potest, sed non est de essentia sua.

---

Primo jam editu, sequentia suavia dictorum quaedam redundantia videri possunt, ei qui rationum superiorum consequentiae jam assentitur.

Nihilominus, nunquam nimis prementur, argumenta quae quamdam sententiam confirmant, forte a quadam traditione scholastica descendentes, sed revera quae veram mentem et conceptionem Sancti Thomae de pulchro comprehendere conatur.

Propterea dicendum quod est duplici praecipuo modo aliquid ad aliud requiritur, vel enim essentiam ejus constituit, vel est quasi per se accidens ejus (2).

At, si quidem delectatio de essentia pulchritudinis esset, non solum natura intellectus et delectationis agnosci videntur, sed etiam distinctio intellectus a voluntate, et pulchri a bono in perpetuum in summo discrimine esset.

---

(1) c. 32, P. L. 24, c. 148

(2) Ia. 2ae., q. 2, art. 4, c.

Nunquam enim illa S. Thomae dicta oblivioni tradenda sunt quibus pulchrum essentialiter esse objectum intellectus affirmat: "Pulchrum respicit vim cognoscitivam" (1).

Cujus ratio invenitur in his aliis verbis, quibus contendit<sup>(2)</sup> quod "ad rationem pulchri pertinet quod in ejus aspectu seu cognitione quietetur appetitus, unde illi sensus praecipue respiciunt pulchrum qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet visus et auditus rationi deservientes." (2).

Perceptio pulchri ergo ad intellectum proprie pertinet, cum solus intellectus aptus sit ad illam gratitudinem in agendo cum qua pulchrum percipi requirit. Quae perceptio pulchri vero ab omni ratione utilis solvitur, immo, ad possessionem rei pulchrae indifferens est, pulchritudine unice sui causa contemplata.

At vero, delectatio e possessione effectiva et concreta objecti ab appetitu essentialiter pendet. Atque, in hoc appetitu o praesentia boni conjuncti ut sic, apprehensi, provenit. Sicut dictum est, "delectatio causatur ex praesentia boni convenientiae secundum quod sentitur vel qualitercumque percipitur." (3).

Tunc vero liquet delectationem de essentia pulchritudinis non esse. Si quidem delectatio de essentia pulchritudinis esset, oporteret ut intellectus subjectum ejusdem delectationis esse possit; aliis verbis, oporteret ut sub ratione boni convenientiae sui appetitus naturalis cum suo proprio objecto apprehendere posset.

(1) Ia., q. 5, art. 4, ad 1.

(2) Ia., 2ae., q. 27, art. 1, ad 3.

(3) Ia., 2ae., q. 22, art. 3, c.

(4) "Contendit hic exemplum inductive pro quatuor in quo affirmatio"

Quod impossibile videtur, tam cum bonum ut sic non sit objectum intellectus, sed voluntatis, quam cum intellectus nisi a quidditate objecti terminetur.

Insuper, si delectatio de essentia pulchritudinis esset, concludendum esset quod, simul ac objectum pulchrum ut sic perciperetur, ipso facto realiter possideretur, cum delectatio sit quies appetitus in objecto possessio.

Dubium non est quin tamen e perceptione pulchri intellectui fiat perfectio entitativa quae bonum concretum constituit.

Quod si vero delectatio haberetur de essentia pulchritudinis, pulchrum et bonum ergo confundi videretur, et immo, implicite admitteretur quodcumque delectabile pulchrum esse. Quod repugnat.

Quod delectatio autem de essentia pulchritudinis non sit non importat tamen, aliquam apprehensionem pulchri fieri posse absque delectatione, cum delectatio a perceptione pulchri emanat sicut quasi per se accidens.

Uaque enim perceptio pulchri non voluntatis sed intellectus sit, in voluntate tamen haec quies et satisfactio quae e. hac apprehensione proficiscitur, invenitur.

Ita a Cajetano pulchrum vocatur "quaedam species boni" (1). Non autem quia est "objectivo" idem quod bonum, sed quia est intellectui operatio seu actualitas seu perfectio quae sicut quaecumque perfectio cujuscumque potentiae sub objecto voluntatis continetur; aliis verbis, delectatio apprehensionem pulchri ut operationem intellectus perficit. Non tamen modo intrinseco, cum in hac operatione non continetur ut principium, sed extrinseco prout ad operationem apprehensionis jam constitutam supervenit.

<sup>1</sup> om. 1a. 2ae., q. 27, art. 1.

Dupliciter aliquid alicui perfectioni esse posse, sicut a Divo Thoma dicitur: "Una perfectio quidem intrinseca, quae constituit essentiam rei, alia autem quae supervenit rei in sua specie constitutae." (1). Sed denuo Divus Thomas quatuor modos quibus aliquid ad aliud extrinseca requiritur, exponit: "uno modo sicut preambulum vel praeparatorium ad ipsum, sicut disciplina requiritur ad scientiam. Alio modo, sicut perficiens aliquid, sicut anima requiritur ad vitam corporis. Tertio modo, sicut coadjuvans extrinsecus, sicut amici requiruntur ad aliquid agendum. Quarto modo sicut aliquid concomitans, ut si dicamus quod calor requiritur ad ignem." (2). Quo ultimo modo delectatio ad pulchritudinem requiritur. Et ideo sicut dicitur de delectatione visionis quod "delectatio est quaedam perfectio concomitans visionem, non sicut perfectio faciens visionem in sua specie perfectam esse;" (3) ita de apprehensione pulchri.

Ad difficultatem respondetur primo quod delectationes specie differunt secundum operationes quas perficiunt et patet ex X Ethic., c. 4, "et quia delectatio circa pulchrum spiritua<sup>lior</sup> est et purior, et quis non habet contrarium, ideo quasi per antonomasiam dicitur, delectabile. Item ex hoc quod delectatio semper adest "concomitantor" cuicumque perceptioni pulchri, videntur observatio empirica, artifices et plerique philosophi intulisse delectationem de essentia

(1) X Ethic., lect. 6, nn. 203.

(2) Ia. 2ae., q. 4, art. 1, c.

(3) Ia. 2ae., q. 4, art. 2, ad 1.

pulchritudinis esse. Sed vita et beatitudo quoque sunt operationes quae ut effectus delectationem causant, neque scholastici philosophi ex hoc concludunt delectationem esse de essentia vitae et beatitudinis. Dum definitio pulchri a Voltaire a Delcourtois minute non videtur talis, eo excepto, quod vocatur pulchrum, non id quod dicitur, talis

qui semper et concomitante delectationem causat.

Ita ut, demus id, quod nullo modo fieri potest, quod voluntas non esset, pulchrum nihilominus esse posset. Aliis verbis, si Deus, sua potestate ordinaria nequit efficere ut pulchrum absque delectatione existat, tamen non potest non delectationem causare. Alii enim hanc distinctionem maximi momenti praetermittunt non longe absuit quia Jacques Maritain et alii, ita obessent doctrinis ipsis quas tuentur, scilicet, distinctioni intellectus a voluntate, boni a pulchro.

Art. XI

Utrum omne ens sit pulchrum.

Summula argumenti.

I. Omne ens objectum cognitionis est,

Atqui omne quod est objectum cognitionis est terminus complacentiae,

Ergo omne ens terminus complacentiae est et ideo pulchrum.

Non est cognitio si intellectus non se coaptat vitaliter ad objectum ut terminum,

Atqui, intellectus se vitaliter coaptat ad objectum per complacentiam,

Ergo omne quod est objectum cognitionis est terminus complacentiae.

II. Complacentia quae est de essentia pulchritudinis est intellectui perfectio,

Atqui, "in intellectione cujuscunque entis perficitur intellectus

Ergo, omne <sup>ens</sup> est pulchrum.



Art. XIUtrum omne ens sit pulchrum.

I. Ad undecimum inquirendum est utrum omne ens sit pulchrum, et videtur quod non. Videtur enim quod pulchrum ad omne ens non se extendit. Manifestum est non omnia pulchra esse. Quomodo quidem res sicut pilus, lutum et scordes pulchrae dici possent ?

2. Praeterea, ita judicat sensus communis quod pulchrum magis et minus suscipit, a quibusdam enim praedicatur pulchrum id quod ab alio turpe habetur. Alioquin, quaedam sunt quae manifeste pulchriora quam alia videntur. Quae tandem judicia pulchri ita varia sunt, ut ita dicam, tam multa fiant quam mentes quae ea concipiunt.

Pulchrum ergo non est proprietas tam arcte enti juncta ut eadem atque ens ubique ens ipsum reperitur.

3. Praeterea, adhuc a Divo Thoma asseritur quod "Genera vero potentiarum animae distinguuntur secundum objecta." (1). Atqui, verum est objectum intellectus, et bonum, objectum voluntatis. Sicut dictum est : "Verum est id in quod tendit intellectus, bonum est id in quod tendit appetitus."

Si esset pulchrum conceptus transcendentalis a vero et bono etiam nisi ratione distinctus, oporteret poni ut sicut dicit De Munynck "un troisième supérieur qui aurait proprement pour objet ce beau transcendantal" (2).

---

(1) Ia., q. 78, art. 1, c.

(2) Esthétique St. Thomas D'Aquin p. 228.

Nihil vero ducit ad credendum quod haec potentia extraordinaria realiter existit. Pulchrum ergo de omni ente non potest praedicari

Sed contra est quod a Sancto Doctore explanans de Divinis nominibus dicitur. Postquam enim Deus "pulcherrimus et superpulcher" nuncupat, contendit quod "nihil est quod non participet pulchro et bono." (I). Si ergo Deus et omne quod extra Deum pulcher praedicari potest, pulchrum est proprietas transcendentalis.

---

Ut pulchrum recipiatur transcendente sufficit ut qualecumque objectum possit haberi fundamentale principium et ultimo ratio perfectionis propriae appetitus naturalis potentiae cognoscitivae vitaliter agentis. Si admittitur quodcumque objectum cognitionis debere esse quoque finis et terminus complacentiae, pulchrum ut conceptus transcendentalis accipitur.

Omne ens vero, id est, omne quod quocumque modo sub conceptu entis continetur proinde cognosci potest.

Ita ut, si intellectus in quantum est potentia cognoscitiva omnia fieri possit, ex altera parte, quaelibet res terminus et finis intellectus fieri potest.

Quae quidem assertio, in majore argumenti expressa, non est nisi consequentia naturalis ex hoc quod cognitio sine complacentia non potest esse.

---

(I) Comm. De Divinis Nominibus, lect. 5, ad finem.

(2) cf. n. 3. 4 - 59

Videatur autem verisimile asserere quod si quidem objectum quoddam perfecte intellectui adaequatum proponi posset, neque in eo consistatur hic motus quo ad objectum intellectus vitaliter et intrinsece se aptat seu complacet, id est, si objectum quoddam verum sed non pulchrum intellectui offerri posset, aut cuncta intellectio ipsa deesset, aut intellectus quodammodo cogeretur: utraque consequentia aequaliter impossibilis et absurda videtur, cum "nulla potentia activa violentari possit." (1).

Repugnat ergo concipere aliquod objectum cognitionis quod non sit terminus complacentiae. Ita ut pateat quod ens pulchrum non est fundamentum relationis mensurae et adaequationis, hoc est veri proprium, sed relationis convenientiae, quatenus est ratio operationis vitalis complacentiae per quam apprehensio ipsa formaliter efficitur. Pulchrum dicitur "id cuius apprehensio placet." (2). Jure merito igitur a discipulis Sancti Thomae pro verbis "id cuius apprehensio placet", aliquando subjicitur, "id quod visum placet".

Quod vero pulchrum sit proprietas transcendentalis non tantum pendet ex hoc quod cognitio sine complacentia esse nequit, sed oritur etiam ex hoc quod complacentia quae de es entia pulchritudinis est, intellectui perfectioni et bono vertit.

Atqui, Joannes a S. Thoma explicite declarat: in intellectione cujuscumque entis perficitur intellectus." (3)

---

(1) J. a S. Thoma, C. Th., 5 - 410 - b.

(2) Ia. 2ae., q. 27, art. 1.

(3) c. Th., 5 - 444 - a.

Ita ut dici potest quod in quantum quaecumque apprehensio in perfectionem et bonum intellectui vertit, ita in quacumque intellectione quaedam pulchritudo est. Et ideo dicitur: "apprehensioni autem veri secundum quod habet rationem boni, respondet processio pulchri." (I).

Quamobrem pulchrum quodammodo ad plura se extendit quam bonum. Cum enim entia rationis, entia mathematica et materia prima quae a bono abstrahunt, quatenus voluntas ad concretum rei se terminat, nihilominus in quantum objecta intellectus pulchra manent. Sicut ex Aristotele patet, 13 Metaph., cap. 2, 1077 a, 36, b, 15 et 3 Metaph., cap. 2, 996, b, 1.

Ad primum et ad secundum argumentum solvendum, non videtur accipienda esse, pilum, lutum et sordes pulchra nequidem pulchritudo eodem modo et aequaliter ad omnia competere. Minime. Sed cum solutio hujus quaestionis nos ferat ad rogitandum quomodo turpe pulchro opponatur, et quomodo turpe et pulchrum in rebus sint, et inde ad longius disputandum, insequenti articulo his studiis obsequamur.

Jam nunc autem via aperitur qua difficultatem subterfugiamus. Haec distinctio enim notanda est; alia est ratio perfectiva intellectus quam res in quantum ens dicit, alia, haec dispositio et habitus qui naturae additur sicut sanitas corpori sano. Aliis verbis, aliud hic "habitus pulchritudinis qui non solum esse aut nonesse potest sed etiam magis et minus suscipit.

Re quidem vera, conceptus transcendentalis pulchri non suscipit plus vel minus sicut conceptus sanitatis in se dispositiones variae subjecti non sequitur, nam uti dicitur "potest variari dispositio in plus vel in minus, et tamen remanet semper sanitatis ratio" (I).

Itaque ut non concludendum est aliquem amisisse suum esse cum sanitatem amisit, ita non inferendum est aliquod ens non esse transcendentaliter pulchrum, cum modo turpi sensibiliter disponitur. Estne transcendentalitas boni neganda ex hoc quod quoddam fel, quidam latrones et quaedam falsae barbae sunt. Ceteroquin, manifestum est quod si vero et bono eadem ratio imponitur quae a plerisque de pulchro utitur, cuncta transcendentalitas veri et boni vinceretur ab enumeratione rerum quae a sensu communi malae, meliores aut falsae praedicuntur. Ens et pulchrum sunt ergo inseparabiles rationes et quaecumque res pulchra est in quantum ens seu sub ratione entis.

Ad tertium notandum est quod apprehensio pulchri indigeret aliqua nova et superiori potentia apprehensiva alia atque intellectus si intellectus ipse, cum ens fundamentum et finem sui actus perfectivi habet, intenderet hanc cognitionem ordinare ad ulteriores actus.

Sed intellectus non apprehendit pulchrum nisi propter pulchrum ipsum et perfectionem apprehensionis ipsius, sicut ex supra dictis patet.

---

(I) Ia. 2ae., q. 52, art. 1, c.

Qui vero appetitus naturalis potentiarum animae non sufficit, cum anima res perceptas a sensibus consequitur non propter actiones sensuum, sed ut ad alios usus ducent. Inde ponendus est inter potentias animae specialis appetitus qui apud superiores est appetitus elicited seu voluntas.

Quae vero sententia a S. Thoma ipso esse videtur cum dicit:  
 " Si autem non indigeret anima rebus perceptis a sensu nisi propter actiones sensuum, scilicet, ut eas sentiret; non deberet appetitivum ponere speciale genus inter potentias animae, quia sufficeret appetitus naturalis potentiarum. " (I).

---

(I) Ia. pars q. 78, art. 1, ad 3um.

Art. XII      Utrum pulchrum sit tantum in intellectu.

Summa argumenti.

Pulchrum prius inveniri debet in id quod est ratio primae complacentiae.  
Atqui id quod est ratio primae complacentiae est objectum cognitum  
ut cognitum et ultimo, omne actualiter intelligibile,  
Ergo pulchrum prius et fundamentaliter invenitur in omni ente in  
quantum cognoscibile.

Actus complacentiae non habet nisi ad objectum perfecte  
proportionatum,

atqui tale objectum est cognitum ut cognitum,

Ergo, objectum cognitum ut cognitum et ultimo omne actualiter  
intelligibile potest esse fundamentum et terminum comple-  
centiae.

Art. XII      Utrum pulchrum sit tantum in intellectu.

I. Ad duodecimum quaerendum est utrum pulchrum sit tantum in intellectu, et videtur quod sic. Dicit enim De Munynck: "Le Beau ou Bonum delectabile est une valeur inhérente au sujet et proportionnelle à la nature même du sujet. Le beau parce qu'il est un bien délectable, se termine dans l'homme." (1).

Ita, Benedetto Croce, qui in Italia magister videtur, recentem tractatum de Aesthetica his verbis aperit: "Le Beau appartient à l'activité même de l'homme à l'énergie spirituelle." (2). Plerique recentes philosophi tandem existimant pulchrum esse quicquam subjectivi et qua tale scrutandum, ut apparet in doctrina Einfühlung.

Si autem refertur ad ipsam doctrinam D. Thomae, constat hoc subjectum, cognoscitivam potentiam, hanc spirituales virtutes, intellectus virtutem vitalitatemque debet esse "Patet, ait D. Thomas, quod pulchrum addit supra bonum quendam ordinem ad vim cognoscitivam." (3). Ergo, pulchrum est tantum in intellectu.

---

(1) L'Esthétique de Saint Thomas d'Aquin, p. 237-239.

In S. Tommase d'Aquino, Pubblicazione commemorativa del sesto centenario della canonizzazione (Pubblicazione della università cattolica del Sacro Cuore, Serie Prime, scienze filosofiche, vol II Milano, 1923, pp. 228-246).

(2) Esthétique comme science de l'expression et linguistique générale, trad. française, Paris, 1904 p., 93.

(3) Ia. 2ae., q. 27, art. 1.



2. Praeterea, intellectus complacentia pulchritudini essentialis est. Haec complacentia autem manifeste est in intellectu ut in subiecto. Ergo, pulchrum in intellectu complacente est.

3. Praeterea, entia rationis et mathematica, pulchra sunt, ut patet ex Aristotele (1). Sed, entia rationis, neque mathematica determinate se habent ad aliquid extra intellectum; Ergo, pulchrum non est nisi in intellectu.

Sed contra est quod D. Thomas dicit, quod "bonum et pulchrum sunt idem in subiecto". (2). Sed bonum est in rebus. Ergo pulchrum quoque est in rebus.

Cum complacentia sit de essentia pulchritudinis, ut supra ostendimus, sufficiet definire id quod, ut objectum, fundat connotatque perfectivam rationem intellectus, ut simul, id in quo fundamentaliter pulchrum sit, determinetur.

Quaerendum est igitur, quae sit principalis ratio vitalis coaptationis intellectus, scilicet ad quodnam objectum intellectus in actu secundo per complacentiam se vitaliter coaptet.

Actus complacentiae, ut supra dictum est, est actus cognoscitivae potentiae in actu secundo intellectionis. Patet ergo objectum, quod eam fundat, et ad quod ordinatur ut ad terminum, intelligibile tantum in potentia esse non posse. Intellectus enim non potest suum

(1) 13 Métaph., cap. 2, 1077 a 36 ad b, 15.

(2) 1a., q. 5, art. 4, ad 1.

actum secundum elicere et ad objectum per complacentiam vitaliter se coaptare, nisi hoc objectum ipsum et ex parte objecti perfecte et immediate proportionatum reddatur, id est, nisi objectum ipsum sit in actu secundo et ultimo intelligibilitatis, seu intellectum in actu.

Intellectum in actu dupliciter dici potest: Vel respectu subjecti, scilicet quod objectum est applicatum ad intellectum per modum termini, itaque redditur intellectum, id est apprehensum et tantum ab isto vel respectu objecti scilicet quod objectum ipsum formatum est ultima actualitate, id est intellectum in actu ultimo ex parte objecti (1). De isto ultimo modo hic agendum est.

Complacentia ergo, itaque pulchrum ipsum in actuali intelligibilitate, ultimo nititur. Quod objectum, ad quod intellectus suo coaptationis vitalis motu tendit ut ad perfecte proportionatum terminum, est objectum in quantum formaliter objectum intellectus, id est cognitum ut cognitum. Nam ut dicit Joannes D. Thomae "Intellectio dicit rationem actus ultimi et tendentiae ad objectum ut cognitum." (2) Nihil refert utrum hoc objectum intellectus virtute ipsa in statu ultimae actualitatis intelligibilis reddatur, (uti fit in intellectu humano naturaliter agente) an de se hoc objectum proportionatum sit (uti in beata visione). Non est enim in quantum productum, sed in quantum cognitum quod objectum actum secundum

---

(1) J. a D. Thoma, C. Ph., III, 364, b, 30.

(2) C. Ph., III, 356, a, 5.

intellectus terminat. (1) Est enim complacentia vitalis proportio per modum tendentiae quae, qua talis, ab actione productiva verbi distinguitur; supponet enim nihil ex facultate nisi lumen naturalis istius. Quare pulchrum ab objecto cognito ut producto abstrahit, neque pertinet nisi ad cognitum ut cognitum. Quod ~~pulchrum~~ objectum hoc modo, quam maxime convenit ad virtutem intellectus naturalem seu lumen, quae proportio vitalis per modum tendentiae ad objectum ut cognitum sit. Complacet ergo intellectus ad terminus cognitum ut cognitum. Ideoque, quodcumque illa actuali intelligibilitate susceptivum est, quae complacentiam fundet et terminet fundamentaliter, est pulchrum. Pulchrum ergo ad omne cognoscibile se extendit neque ei alii fines sunt atque enti ipsi cum quo convertitur. Omnia enim, in quantum ens, intelligibilia sunt, quia quodcumque hoc onto intime imbutum est quod autem est id quo omnis res est intelligibilis. Pulchrum, inde non est nisi nihili et impossibili opponitur. Unde Deus est totus pulcher, quia "de se non solum intelligibilis, sed in ultimo actu intellectus respectu omnis intellectus cui praesens et unitus esse potest intime." (2). Aliis non est pulchritudo nisi participative et proportionaliter. Unde beata visio nobis videtur ut quemadmodum essentialiter visio pulchri, in quantum visio beata in actu intellectus surelevati ad complacendum, Deo ut objecto in actu ultimo et immediate intellecto praecise consistit, "Et sic, ait S. Thomas (intellectus) perfectionem suam habebit per unionem ad Deum sicut ad objectum in quo solo beatitudo hominis consistit." (3)

---

(1) J. a S. Thoma, C. Ph., III, 357, a, 30.

(2) J. a S. thoma, C. Ph., III, 361, a, 40.

(3) Ia. 2ae., q. 3, art. 8, c.

Sed cum visio pulchri in intellectu humano, naturali vero ordine, nihil praesupponat, nisi virtutem naturalem, intellectus humanus aliunde in beatitudine ad Deum ut objectum complacens surelevatum speciali lumine debet esse.

Propterea, pulchrum enti nihil addit, nisi relatio convenientiae ad intellectum quatenus cognoscitiva potentia. Quae est relatio transcendentalis in qua ens se habet ut absolutum, id est, in qua relatio ipsa ex intelligibilitate actuali sequitur.

Patet ergo, quod pulchrum objectum non solum est terminus sed etiam fundamentum actus complacentiae intellectus, inquantum intellectus ipse non se habet vitaliter ad objectum nisi in quantum hoc objectum tantum habeat intelligibilitatis ut actum secundum intellectus terminare possit.

Insuper, potest dici merito, quod in pulchro, forma est finis. Intellectus enim tendit ad objectum ut visum seu cognitum quia objectum ut cognitum fundat et terminat suum actum secundum; aliis verbis, objectum pulchrum est finis in quantum est forma cognita: "Pulchrum proprio pertinet ad rationem causae formalis." (I)

Ad primum et ad secundum respondendum est quod eodem modo quo S. Thomas et ulterius Joannes S. Thomas de veritate dupliciter distinxerunt, ita de Pulchro, oportet distinguamus: aliud enim est pulchrum objectivum, fundamentale, transcendentalis et ex parte

---

(I) Ia. 2ae., q. 5, art. 4, ad 1.

objecti, ratio vitalis proportionis inter intellectum et objectum; aliud est pulchrum formale seu proportio vitalis ipsa quae completa vocatur, quaeque evidenter in intellectu invenitur. Ex dictis sufficienter patet quod asserentes pulchrum tantum in homine ut in subjecto esse; aut vero delectationem de essentia pulchri esse existimant id quod simul contradicit et opinioni ipsae S. Thomae et suae, quia enim secundum S. Thomam: "Pulchrum respicit vim cognoscitivam" et "delectationem est nisi in voluntate"; aut hoc objectivum pulchrum fundamentum formalis pulchri omittunt.

Ad tertium respondendum est quod nihil ex illo objective seu transcendentali pulchro excluditur, neque ens rationis, neque etiam mathematica, neque quidquam quod objectum actus intellectus possit esse, specificareque illum ratione proportionis objectivae. Pulchrum enim omne cognoscibile complectitur et cum toto actuali ontis seu ens in communi identicum est, quod non solum et ens rationis et ens reale transcendit, sed etiam quodammodo se habet indifferenter indifferencia confusionis ad utrumque. Joannes S. Thomas enim asserit: "Objectum esse reale vel rationis solum facit differentiam ratione ontis, non ratione objecti et cognoscibilis" (I). Quare aliquid potest esse simplicitate objectum et simpliciter pulchrum et simpliciter non esse ens. Rursus aliquid potest esse indifferens ad quicumque ens nisi ad ens cognoscibile, et tamen pulchrum esse. Nequidem vera est de mathematicis quae ut subsunt abstractioni modo non sunt bona, quia non possunt ut perfecta considerari, tamen pulchra veraque dicuntur.

---

(I) C. Th., I, 678, b, 13.

## Bibliographia

Sanctus Thomas.

Summa Theologica.

Ia. pars.

Ia. 2ae.

2a. 2ae.

Quaestiones Disputatae.

Vol. II, 6 de Virtutibus in communibus.

Vol. III, II, De Veritate.

Expositio super Dionysium De Divinis Nominibus,

Opuscula omnia. tomus 2.º. 4.

Lethielloux, Paris, 1927.

Expositio in decem libros Ethicorum Aristotelis.

Lib. 10. Mariotti, 1934.

De Pulchro et De Bono.

Opus, Spuria, Tomo, 5, opus 58

Lethielloux, Paris, 1927.

Denys le Chartreux.

De Venustate et De Pulchro.

Montreuil, 1837.

Joannes a S. Thoma.

Cursus Philosophicus.

Vol. I-II-III (ed. Reiser 1933)

Cursus Theologicus.

Vol. I-II-III-IV-V.

Comm. super quaestiones Summae (ed. Vives)

Theologicae supra prolatae.

Index      Partium

Pars I

		page
<u>Art. I</u>	Utrum sit aliquod bonum intellectus proprium.....	1
<u>Art. II</u>	Utrum convenienter definiantur pulchra, quae visa placent.....	8
<u>Art. III</u>	Utrum intellectus sit de ratione pulchri.....	13
<u>Art. IV</u>	Quid sit complacentia.....	18
<u>Art. V</u>	Utrum complacentia sit etiam in intellectu.....	29
<u>Art. VI</u>	Utrum complacentia habeat rationem finis.....	39
<u>Art. VII</u>	Utrum complacentia sit idem quod delectatio.....	43
<u>Art. VIII</u>	Utrum omnis complacentia sit causa delectationis...	46

Pars II

<u>Art. IX</u>	Utrum complacentia requiratur ad pulchritudinem....	52
<u>Art. X</u>	Utrum delectatio requiratur ad pulchritudinem.....	56
<u>Art. XI</u>	Utrum omne ens sit pulchrum.....	63
<u>Art. XII</u>	Utrum pulchrum sit tantum in intellectu.....	69

---